SYLLOGE
BRACTEATORVM
SEV
NVMORVM CAVORVM
AB
ARCHIEPISCOPIS MOGVNTINIS
OLIM CVSORVM,
ET NVNC AERI INCISORVM,
A
NICOLAO SEELAENDER,
ERFVRTENSI,
ANNO MDCCXXV IN LVCEM EDITA &c.



Nummario
fauro pra
minus, q
quam ma
LAVS
tenſit, V
gis ac Principis Electoris
cographus, *ueteres Ar*
bracteatos, ſiue numos
müntzen dictos) ante ho
cilos ac Exegeſi ſermone
publicum edidit, ac Emi
RIO FRANCISCO, A
tinae Archiepiſcopo, demiſ

Quos, cum praceden
gentinis Schedioſma in m
uero corrigant ac emend
quibus hic locum darem
uoluntate, paceque eiſde

Vt autem exteris, lin
tibus, uſui eſſe poſſint,
iunctam, & adnotationes
iectas, in ſermonem tranſ
hoc curauis enotari, cu
maiores, tum minores diſ

Notari tamen uelim
margini in uiris Archiepi



Numario ſuo mediorum temporum theſauro praeſtantiſſimus ac ingenio non minus, quam ἀναγλυπτικῆς elegantia quam maxime celebris Vir, NICOLAVS SEELAENDER, *Erfurtenſis*, Potentiſſimi Britanniarum Regis ac Principis Electoris Brunſuico-Lüneburgenſis Chalcographus, *ueteres Archiepiſcoporum Moguntinenſium bracteatos*, ſiue numos cauos (uulgo *Hohl-* & *Blechmüntzen* dictos) ante hos duos annos eleganter aeri inciſos ac *Exegeſi* ſermone uernaculo adiecta illuſtratos in publicum edidit, ac Eminentiſſimo Principi LOTHARIO FRANCISCO, hoc tempore S. Sedis Moguntinae Archiepiſcopo, demiſſiſſimo animi cultu inſcripſit.

Quos, cum praecedens TENZELII *de numis Moguntinis* Schediaſma in multis ſuppleant, in non paucis uero corrigant ac emendent, dignos maxime iudicaui, quibus hic locum darem; quem etiam bona Viri optimi uoluntate, paceque eisdem hic facio.

Vt autem exteris, linguam germanicam non callentibus, uſui eſſe poſſint, & *Exegeſin* iſtam, tabulis ſubiunctam, & adnotationes, orae paginarum inferiori adiectas, in ſermonem tranſtuli latinum; illam inſuper, ut hoc curatius enotari, citarique queat, in ſectiones cum maiores, tum minores diſtinxi.

Notari tamen uelim, me ſummas paragraphorum, margini in uitis Archiepiſcoporum illorum a me adſcriptas,

ptas, quas praestantissimus SEELAENDER ex iis excerpsit, singulisque praemisit, omisisse; cum mihi persuaderem, hoc minus uitii id habiturum, quo apertius aliis uisum, sine ullo lectoris detrimento eas hic abesse posse.

Nil supereſt, quam ut huc afferam, quae ipse sub finem *Exegeseos* laudatae, fidei hoc maioris conciliandae gratia, monuit. Sic autem ibi: *Sedenim e re uidetur, paucis indicare, ubi locorum numi hi adseruentur, ut mihi hoc minus orbis eruditus fidem deneget. Maximam autem partem habentur in ipso* Eminentissimi Archiepiscopi & Principis Electoris Moguntini *numophylacio, & quidem tabula I comprehensi omnes, praeter n. 14. & 16 notatos: in tabula II repraesentati itidem omnes, praeter quatuor, n. scilicet 8, 9, 10, & 11 signatos. Aliquot etiam* Gothae *in gazophylacio Ducali. Tum uero plerique inueniuntur in apparatu numario, plus quingentis id genus numis cauis referto,* Iusti Christophori Böhmeri, *coenobii imperialis Loccumensis Abbatis, & Potentissimi magnae Britanniae Regis ac Principis Electoris Brunsuico-Lüneburgensis in Principatu Calenbergico a consiliis prouincialibus, iisque primariis, tabulae I quidem omnes, nisi qui n. 10, 11, 14, 15 & 16 notati sunt; tabulae itidem II, si n. 8, 9, 10, 11, 19, 29, & 32 signatos exceperis. Sunt etiam ex parte* Hamburgi *Consuli* Anderson; Brunsuici, *Consiliario aulico* Schmidt, *& Commissario* Riddern; Guelferbyti, *Consuli* Vlrich.

BRACTEAT·ARCHIEPISC·MOGVNTIN·TABVLA·I·



M. Seelander

ex original. delineav. et sculp.

TAB. I



EXE

TABVLAE H

ADELB

Vltæ nobis D. *Martinum*, Epi
tuæ patronum, nimbo orn
res arcui inhibet, ac dextra
dum tenet: his; scalpro
uerbis: ✝ *ELIC ÓPVS MO*
dem in hunc circiter modum expo
CONCI. ADELberti Archiepi

Alis *Adelberti huius; in quo fe*
bus ornato inhibet, manuque d
lum, superne crucis signo consecratum
TVS. ARCHIEPISC. opus MOG

HEN

IN hoc ille in structura quadam
det, ac dextra elevata speciem
sinistra vero pedum tenet; his circum
EPISCOPVS MOGVNTINVS.

Cum plures in ea sint sententi
mortalis, animæ, & hunc ipsum
centur in magnitudine, forte cuiu
pœnis, vel temporis cuiusdam definit
morata digni.

REpræsentat nobis Archiepiscop
& cum librum teneretur, nu



EXEGESIS
TABVLAE HVIVS PRIMAE.

I
ADELBERTI I.

n. 1

SIstit nobis *D. Martinum*, Episcopum Turonensem, ecclesiae Moguntinae patronum, nimbo ornatum & πωγωνίτην; uti quatuor intra turres arcui insidet, ac dextra baculum cruciformem, sinistra uero pedum tenet: his, sculptoris imprudentia, ordine inuerso circumscriptis uerbis: ✝ *ELSC OPVS MCONCIO ADILI AD 7 S G R.* quae quidem in hunc circiter modum exponenda erunt: ✝ *ECcLeSiae OPVS MOCONCI. ADELbertI Archiepiscopi Dei & Sancti GRatia.*

n. 2

ALius *Adelberti* huius; in quo sedili ille capitibus caninis in extremitatibus ornato insidet, manuque dextra lituum gerit, sinistra uero baculum, superne crucis signo conspicuum; cum hac περιγραφῇ: ✝ *ADALBERTVS. ARCHIEPISCopus MOGuntinus.*

II
HENRICI I.

n. 3

IN hoc ille in structura quadam templiformi & duabus turribus insigni sedet, ac dextra eleuata speciem iurantis, uel bene precantis praebet; sinistra uero pedum tenet; his circumscriptis uerbis: *HEINRICVS ARCHIEPISCOPVS MOGVNTINVS.*

Cum plures in ea sint sententia, bracteatos inter dari etiam numos memoriales, arbitror, & hunc ipsum id genus numis adnumerandum, & quum tantae sit magnitudinis, forte cusum esse in memoriam uel initi Archiepiscopatus, uel templi cuiusdam dedicati, uel alius cuiuspiam rei ac negotii, memoratu digni.

n. 4

REpraesentat nobis Archiepiscopum, arcui inter duas turres insidentem, & cum librum tenentem, tum lituum; litteris circum circa impressis

lectu difficilibus, & modo sinistrorsum, modo dextrorsum uergentibus; sinistrorsum quidem his: *VONNENEWINN*; dextrorsum uero sequentibus: *N. RCH MVTEI. IVOV.*

Istis itaque sic transpositis, ad figuras recurrendum, quae aliis in numis paene ad similitudinem huius accedunt. quippe ex quibus iudicandum, quorsum ille per parallelismum referendus ueniat. Quiuis autem, qui utrumque curate adspexerit, expenderitque, facili animaduertet negotio, & illum & hunc ab unius sculptoris esse manu; licet is, uel ex proteruia quadam uel oscitatione, litteras huic sine sensu inciderit.

III
ARNOLDI.

n. 5.

VT ille duas inter turres sedet, cum baculo episcopali in dextra; in sinistra uero cruciformi; adiecta hac ἐπιγραφῇ: ✠ *ARNOLDVS. DeI GRAtia MAGVNCIE. ARCHIEPISCOPVS.*

n. 6

EIusdem est figurae, nobisque Archiepiscopum exhibet, ut duas inter turres arcui insidet, ac dextra baculum, superne crucis signo insignem, tenet, sinistra uero pedum; his circumscriptis litteris: *A. M A. E.* quae quidem sic explicari possunt: *A*rnoldus *M*oguntinus *A*rchi*E*piscopus.

Arbitror ego, bracteatum hunc esse *numum libertatis*; quoniam cum illis, qui in tabula II aere expressi sunt, unius signate ponderis est.

IV
CONRADI I.

n. 7

EXimiae numus elegantiae. Exhibet autem Archiepiscopum, ut intra urbem, porta turribusque instructam, super arcu sedet, ac duos dextrae manus digitos erigit; sinistra uero globum Imperialem duplicatum tenet; hac cum inscriptione: ✠ *SANCTVS MARTINVS. CONRADVS ARCHIEPISCOPVS.*

Numum Moguntinum esse, manifesto patet. Sistitur autem hic *Conradus*, ut erectis digitis, ad globum Imperialem duplicatum, Romanum scilicet ac Germanicum, Archicancellariatus respectu, ius iurandum dicit. Liber uero Euangeliorum apertus, supra quem illud adiurat, in numo sequenti, n. 8 notato, in sinistra ipsius conspicitur; uti in dextra idem globus Imperialis duplicatus.

n. 8

IN hoc idem ille repraesentatur, duas inter turres, sedili capitibus caninis in extremitatibus conspicuo insidens, & dextra globum gerens, ut modo dictum, Imperialem duplicatum; sinistra uero librum patentem; duobus his circumscriptis uerbis: *CŌRADVS EPISCOPVS.*

Numum hunc, una cum peculiari explicatione *Ludewigius* libro, cui titulus, *Einleitung zum Müntzwesen mitlerer Zeiten*, cap. IX p. 117 inseruit. Opinatur autem, figuram istam, quam dextra *Conradus* tenet, non pro globo Imperiali habendam esse, sed pro sacculo cineribus pleno: quod genus Graeci alioquin Imperatoribus suis, in mortalitatis humanae memoriam, in manum indiderint. Subiicit tamen, se hanc sententiam nemini esse obtrusurum.

Eundem quoque postea inseruit dissertationi de insignibus Imperialibus Germanicis *cap.* VII lit. tt) *n.* 26, *tom.* II *Opuscul. col.* 115; *& quum coniecturam hanc suam ex* Isagoge

modo

modo dicta repetiisset, col. 117 ita pergit: Venit autem nunc alia coniectura in mentem; uoluisse Antistitem Imperialis globi ostensione docere, cui ius debeat monetandi; scilicet non sibi illud adscribere poterat; uerum beneficio Caesaris ac Imperii. Quo fine hodieque Ordinum Imperii numis additus globus Imperialis. Inde etiam ut *Crucigeri* siue *Kreutzer* appellentur.

Ceterum Leuckfeldius *aliam & sententiam & coniecturam prodit* § 87 antiquitat. numariar. Halberstadensium *p.* 126 *& seq.* aliam Schlegelius § *XLVII* de numis Hersfeldensib. *p.* 99. Seeländer *uero peculiarem* de globo imperiali duplicato *disquisitionem in* bracteatis Caesareis *se daturum h. l. promittit.*

n. 9

IN hoc sub arcu turrito idem ille in eiusmodi sedet sella, dextraque pedum, sinistra uero librum tenet; nomine *CONRADVS* circumscripto.

n. 10

IN hoc ille duas inter turres itidem id genus sedili insidet, ac dextra lituum gerit, sinistra librum apertum: hac adiecta ἐπιγραφῇ: ✝ *EPISCOPVS. CVNRADVS. IN. ERFVRDIA.*

n. 11

EIusdem est figurae. Similiter enim ille in sella eiusmodi, sub arcu, quinque turribus cincto, sedet, cum baculo episcopali in dextra, & in sinistra cruciformi, superne flore lilii exornato; hac cum inscriptione: ✝ *C.V.N.R.A.D.V.S. E.P.I.S. C.* opus.

n. 12

IN hoc repraesentatur ille nobis duas inter turres stans, dextraque lituum gerens, sinistra uero librum patentem; hac cum περιγραφῇ: *CONRADVS DeI GRAtia ARchiepiscopus.*

Tilemannus quoque *Frisius* in rei monetariae speculo (*Muntzspiegel*) denarium hunc cauum citauit; sed perperam pro *DI GRA* legit, *DICLIA.*

n. 13

IDem hic Episcopus stans occurrit, dextra ad bene precandum eleuata, sinistra librum apertum tenente; iuxta cum perspicua hac inscriptione: *CONRADVS. ARCHIEPISCOPVS. MO*Guntinus.

Ex his n. 8, 9, 10, & 11 *Olearius* tum iam, cum eos in *Spicilegio Antiquitatis* p. 13 & seq. exhiberet, bracteatos Moguntinenses esse censuit. *Leuckfeldius* uero in *Antiquitatibus numariis Halberstadensibus* § 86 p. 125 n. 8, 9, & 11 notatos Episcopo Halberstadensi (*Conrado*, illorum XXI) attribuit; arbitratus, nomen EPISCOPVS Archiepiscopali non conuenire fastigio, atque adeo, tanquam inferioris generis titulum non cadere in *Conradum*, ecclesiae Moguntinae Pontificem: cum tamen ignorare haud potuerit, apud *Olearium* iam occurrere ipsius huius Archiepiscopi numum, cum simplici uoce EPISCOPVS (qui quidem numus in hac tabula n. 10 signatus est) Bene tamen* & in antecessum quasi haec subdit uerba: *A qua tamen sententia libens discedam, si praegnantiores aduersus eam rationes in medium afferri uidero.*

* In ulteriori *de bracteatis Magdeburgensibus* dissertatione § 13 p. 18 melius adhuc ille: *Tandem confecta apud rei numariae intelligentes res est, plures Archiepiscoporum in bracteatis suis, ob spatii, litteras plures non ita bene capientis, angustiam, titulo simplici, EPISCOPVS, contentos fuisse; maxime, cum uiderent, id nec honori suo, nec potestati quid adferre posse praeiudicii: sibi subiectis (quorum praecipue intererat, id genus numis sua exercere commercia) per se probe cognitum habentibus, qua illi dignitate emineant, quibusue compellandi sint titulis: exteris uero parum his de rebus sollicitis.*

Ceterum *Schlegelius* tab. II *de numis Isenacensibus* n. 7 & p. 133 quendam adhuc bracteatum attulit, quem *Conradi* huius esse arbitratur. In quo quidem, ut illum aeri inciſum dedit, conspicitur arcui turrito insidens persona, cum pedo cruciformi & episcopali in manibus: circumcirca uero scriptum: ✝ *DNIVS NOV. CVN. ARCHIEPISCVI.* quod ipse sic explicat: *DENARIVS NOVVS CVNRADI ARCHIEPI-*

SCOPI. Sedenim, donec archetypum mihi uidere contigerit, rem in medio relinquam.

Quin & *Olearius* * adhuc alium *Conrado* huic attribuit; quem *Tenzelius* postea l. c. ** & tandem *Sperlingius* † descripsere. Quum uero mihi usque huc nec archetypum nec ἐπιχείρισμα illius deformatum sese obtulerit, hac eorum relatione contentos nos esse oportet, donec mihi licebit, eundem, forte in supplemento, delineatum exhibere.

* In *Isagoge ad numophylacium* p. 30 n. XXIII; *CONRADVS ARCHIEPS. MAGVNTI.* id est: *CONRADVS ARCHIEPISCOPVS MAGVNTIAE. Figura sedens, dextram eleuans, sinistra seruans pedum; additae sunt turres.*

** Supra § V.

† *De numis bracteatis uel cauis* p. 18: Conradus, *qui anno MCXCVIII* (immo iam anno MCLXXXIII) *post* Christianum *ad cathedram illam rediit, depositus ante anno MCLXIII* (quin anno MCLXV) *cum uix binis annis sedisset* (immo XVII fere) *Obiit autem anno MCC: ita ut numus ille ad hos annos pertineat.*

V

CHRISTIANI I.

n. 14

IN hoc ad dextram *D.* sedet *Martinus*, uti digitis dextrae duobus erectis *Christianum*, ad laeuam sibi adsidentem, quasi subinuitat, ad iusiurandum, codicem Euangeliorum apertum religiose contingendo, dicendum. Hic uero, dextra pedum tenendo, & sinistram pectori admouendo, inclinato innuit capite, ad id se paratum esse. Circumscriptum est: *SANC*tuS *MARTIN*us. *C*hristi*ANVS ARCHIEP*iscopus.

Cauum huncce numum *Tenzelius* pridem iam recensuit*; *Schlegelius* uero longe curatius postea descriptum ac aeri incisum nobis dedit**. Ipsum in memoriam *Christiani* consueto caerimoniarum ordine inaugurati cusum ego putem; quanquam probe norim, eruditorum non unum hanc de numis mnemonicis sententiam impugnasse †.

* Supra § IV.

** Tabula IV *numorum Hersfeldensium* n. 5 & § XVII p. 36; *Ac in alio rursus Moguntino* S. Martinum, *ex nimbo & inscriptione facile noscendum, dextram occupantem* Christiani *Archiepiscopi, pedum dextra sustinentis, sinistram pectori admouentis: qui* Martinus *praeterea, uti uidere est, dextra eleuata, eiusdemque exertis digitis* Christianum *inramenti admonere uidetur, praestiti in S. Euangeliorum librum; quem apertum sinistra ea de caussa tenet cum perigraphe: SANC*tus *MART*inus Christi*ANVS ARCHIEP*iscopus.

† In his *Schlegelius*, quem uide de numis *Hersfeldensibus* § XIII p. 22 & seq. & tandem p. 25, ubi in adnotatione ad hunc § lit. t) in hunc scribit modum: *Diffiteri non possum, me ante nouendecim iam annos sententiam illam, bracteatos in certam rei memoriam fuisse cusos, contra eiusdem assecias*, Cyr. Spangenbergium, W. E. Tenzelium, *Dominum* I. C. Olearium, *& alios in dissertatione mea* de numis Mulhusinis *p. 167, 168 primum impugnasse; neque iam muto sententiam* cet. Et rursum § XXII p. 45 & seq. *Sciendum uero ante omnia, ac pro certissimo tenendum est, (quod supra quoque me attigisse memini) numos memoriales, hoc est, qui in certam, peculiaremque rei memoriam cusi sint, huius tam antiquae aetatis, neque memoriae succurrere, neque isto aeuo quaeri amplius debere, neque hactenus ullum illorum, omni licet cura adhibita, fuisse productum, quidquid contra uel senserint & scripserint* Tenzelius, Olearius, Ketnerus, *& nuper admodum* I. G. Liebknechtius, *& alii, cum ob saeculi illius ruditatem nihil tam politum & futurae memoriae conseruandae ergo excogitatum praesumere modo liceat, ac rudem, asperam, nullaque arte conspicuam dare uix potuerint monetam, adspectu id docente primo, ac quotidiana certe persuadente hoc experientia, ceu alibi id deduxi pluribus.* Atenim oblitus esse uidetur, dum stilo hic tam exacuto utitur, semetipsum undeuiginti ante annis in dissertatione *de numis Isenacensibus* in ista fuisse sententia, dum expensis *Ludouici* Landgrauii numis, § XXVII p. 51 scripsit: *Nec frustra tertio & quarto numo crucem a tergo adhaerere probabile est. Quid si forte signum recepti a Caesare Erfurdiae an. MCLXX, aut paullo ante potius, in Equitum aureorum numerum*

numerum Landgrauii? Non autem adeo rudes, qui id temporis uixere, atque imperitos fuisse, indicio sunt artes quaedam tum usitatae, nunc uero penitus fere deperditae: nec non & tot egregia plane forma cusi ista aetate bracteati; quippe quorum plures aeri caelo tam artificiose insculpti sunt, ut hodie uel exercitatissimos & nominis celebratissimi artifices omnem impendere oporteat operam, si quidem similes istis effigiare uelint. Id quod in peculiari opere, quo fuse *de numis cauis* agere constitui, orbis litterati oculis subiiciam.

n. 15

BRacteatum hunc, qui certe in elegantissimis habendus est, *Gudenus* primum in lucem protulit (*a*); sed uerbis infra adscriptis perperam tum lectis, tum applicatis. Illum secutus *Olearius* (*b*), & dein *Tenzelius* (*c*). Quos cum *Sperlingius* emendare uellet, longius, quam illi, coniectura sua aberrauit (*d*). Decisionem denique fecit *Schlegelius*, & illius tum ectypon curate aeri incisum dedit, tum nomen infra scriptum, ut se habet, expressit (*e*).

(*a*) In *Historia Erfurtensi* lib. I § V p. 18 (supra p. 141)

(*b*) In *Isagoge ad numophylacium* p. 31 n. XXX; *ERPO ARCHIEPISC. SC. MARTINVS MAGVNCIE. DOMINVS. Sanctus* Martinus, *sedens in arcu, porrigit eleemosynam pauperi. Ad sinistram, qua tenet librum, adstat alia sacra persona. Infra porticum* Erponis *figura media cernitur, dextra pedum, sinistra librum gestans apertum. Conf.* Gudenus *l. c. p.* 18, 262.

(*c*) Supra § I.

(*d*) In dissertatione *de numis cauis* p. 11 & seq.

(*e*) *De numis Hersfeldensibus* tab. IV n. 4.

Sistit autem nobis *S. Martinum*, uti intra testudinem, quatuor turribus ornatam, super arcu stat, & dextra nudo ante se iacenti mendico stipem erogat, laeua uero librum tenet; secundum quam adstat Clericus, pedum gerens ac librum. Exterior uero περιγραφή ita se habet: *SanCtuS MARTINVS MOGVNCIE DOMINVS.* Dein, infra arcum, Episcopum nobis exhibet, pectore tenus, sublatis in altum manibus, dextra quidem pedum (cui λειψανοθήκη, crucis notata signo, imposita) tenentem; sinistra uero librum apertum: hac arcui insculpta ἐπιγραφή: *CRI' AN' EPCOP'*; quae hunc in modum explicanda: *CRIstiAN9 EPiſCOP9.*

Cum igitur nomen illius, qui numum hunc signari fecit, clare nunc explicateque in oculis sit positum, sequitur, per se cadere, quicquid auctores citati, occasione nominis *ERPO* protulere. Vt praeteream, neque etiam dum confectum esse, ante saeculum XII tanta bracteatos magnitudine cusos fuisse.

n. 16

PRiorem *Christiano* stabilit, itaque comparatus est, ut ab eadem, qua ille, artificis manu esse uideatur. Quandoquidem similiter sub testudine turrita *S. Martinum* oculis subiicit, uti dextra mendicum ante se nudo iacentem corpore prehendit; sinistra alii semiuestito, genibusque nixo, librum suum donat: his circumcirca scriptis uerbis: *SANC-S MARTINVS COVES* (pro *EPISCOPVS*) infra testudinem uero Archiepiscopum, dextra librum, sinistra uero lituum tenentem, cum hac ἐπιγραφή: *ChRISTiANVS ARCHIEP.*

Rarum hunc bracteatum *Schlegelius* primum in medium attulit*, aerique dein etiam dedit incisum**.

* In dissertatione *de numis Mulhusinis* p. 129: *Numus* Christiani *Archiepiscopi Moguntini, qui ab anno MCLXVII* (male leg. MCLXV) *ad annum MCLXXXIII eandem gubernauit. Iste maximi quoque moduli hanc praefert epigraphen*: SANCS. MARTIN. CRIANVS ARCHIP. *uel, ut alio legitur*: SANCS MARTINVS COVEPS (*hoc est*, Episcopus) *infra* CRISTANVS.

** In *numis Hersfeldensibus* tab. IV n. I.

n. 17

IDem Sanctus, umbilico tenus effigiatus, quatuor inter turres, super arcu, dextram duobus digitis exertis attollit, & sinistra librum apertum tenet;

his circumſcriptis litteris: *oVo ACPRVONOAEPV oVo AHNA DVDRNo.* Infra uero ſub teſtudine eſt Archiepiſcopus, manibus expanſis, genibusque ſemiſubmiſſis: his arcui inciſis litteris: *ACRCNDHCSII.* Quas non minus, quam ſupra adſcriptas inexplicabiles eſſe (cum a ſculptore ioci tantum adiectae ſint gratia) quiuis uidet. Ceterum uero numum inter bracteatos *Chriſtiani*, quum reliquis prorſus ſit conformis, per paralleliſmum referendum eſſe, nemo non deprehendet.

n. 18

IN hoc *D. Martinus* denuo conſpicitur, uti quidem e circulo infra curuato (qui caeli aperti ſignum eſt) dextram, erectis duobus digitis, ſiniſtram uero cum libro Euangeliorum aperto, eleuat; ac Archiepiſcopum infra, duas inter turres pectore tenus repraeſentatum, ad iusiurandum de more dandum ſollicitat: quod & hic digitis libro Euangeliorum in pulpito erecto iacenti, eique aperto, impoſitis adiurat: ſiniſtra uero pedum fert; hac cum inſcriptione: *SanctuS MARTINVS. CHRISTiANVS ARChiEPiſCopus. N.* (pro *Moguntinus*)


Bracteatum hunc *Olearius* primum nobis prodidit*; *Tenzelius* dein recenſuit**; *Sperlingius* tandem ſibi explicandum ſumſit†, etiamſi, cum nunquam uiderit illum, non omnia acu tetigerit.

* In *Iſagoge* p. 30 n. XX; S. MARTINV. CRISTANV. ARCIEPC. N. *id eſt*; *Sanctus* MARTINVS. ChRISTiANVs ARChIEPiſCopus *Moguntinus. In arcu cernitur Sancti figura media, dextram attollens, ſiniſtra exhibens librum. Infra Archiepiſcopi extat figura media, cuius ſiniſtra pedum tenet, dextra uero librum oſtendit digitis in pulpito erecto iacentem. Ceteroquin adſtant turres.*

** Supra §IV.

† In diſſertatione ſaepius citata p. 10; *Nam n. XX habet* (Olearius) *numum, in quo legit*: S. MARTINV. CHRISTIANV. ARCIEPC. N. *Illud* N *errore typographi, ni fallor, irrepſit. Nam dum explicat numum, recte poſuit*: *Sanctus* MARTINVS. CHRISTIANVS ARCHIEPISCOPVS *Moguntinus. At minus recte aſſecutus uidetur cetera iſtius numi. Arcus enim in medio eſt ipſum ſedile cum puluino, in quo ſedet* Martinus, *& ante ipſum Archiepiſcopus* Chriſtianus *in genibus, cum lituo Archiepiſcopali, iurans fidem catholicam, & priuilegia Moguntinenſis eccleſiae, in libro ſcripto, quem pulpitum tenet, ſe tutaturum. Sic ego numum explicari debuiſſe, cenſeo. Is* Chriſtianus I *eſt, ut puto, qui ſedit Moguntiae ab anno MCLXVII* (immo, MCLXV) *ad annum MCLXXX* (immo MCLXXXIII) *quo tempore numi bracteati iam per Germaniam innaluerant. Non igitur ad* S. Martini *tempora referendus eſt hic numus, patroni Moguntinae eccleſiae, ſed ad* Chriſtianum *Archiepiſcopum, qui illum cudi fecit.*

BRACTEAT · ARCHIEP · MOGVNT · TAB · II ·



EXEGES

TABVLAE HVIVS SE

Nunc ad Tabulam II, bracteatos Mos
fugatos, complectentem, deueniendo
dis hoc mihi ordine progredi conſtitu
co, in quibus Archiepiſcopi expoſo c
quod ſæculi huius eus eſſe patet.

I

n. 1

Equo it Archiepiſcopus, capite mitra te
mem tenens, ſiniſtra librum aperiens;
poſiti.

Bracteatum hunc *Papebrochius*, S. I. uir
aliis, qui Neſtebrodae in Eichsfeldia reperti ſun
ſed non adeo accurate delineatum: quandoqu
ſcopus non coronatus incedit, ſed mitra, ut

* In *Actis Sanctorum* tomo III menſi

Ceterum ex iis, qui tum tempora ſim
licet, ad quod ſæculum referendus uenias,
adolfi Comitis Schauenburgenſis, aliique, qu
Friderico II illum poſſe attribui.

n. 2

Archiepiſcopus ſimiliter equo uehitur, c
dextra adhaec uexillum militare gerens
guntina indigenam; lunae dimidiae ſigno e

Hic bracteatus Lupoldo attribui poſſe
Friderico II uenia electum Bingae ui hoſtili e

n. 3

Et hic equo it Archiepiſcopus, habitu ci
umque ſiniſtra rasse, dextra uero ſce
ue dimidio, cui ſtella ſuperne incumbit,

EXEGESIS
TABVLAE HVIVS SECVNDAE.

NVnc ad *Tabulam II*, bracteatos Moguntinenſes, ſaeculo XIII ſignatos, complectentem, deueniendum. In iis autem recenſendis hoc mihi ordine progredi conſtitutum, ut primo eos ponam loco, in quibus Archiepiſcopi equo euntes conſpiciuntur; maxime, quod ſaeculi huius eos eſſe pateat.

I

n. 1

EQuo it Archiepiſcopus, capite mitra tecto; dextra baculum cruciformem tenens, ſiniſtra librum apertum; rota Moguntina ei a tergo appoſita.

Bracteatum hunc *Papebrochius*, S. I. uir perquam eruditus, iuxta cum aliis, qui Neſſelrodae in Eichsfeldia reperti ſunt, iam iam in lucem edidit*; ſed non adeo accurate delineatum: quandoquidem in archetypo Archiepiſcopus non coronatus incedit, ſed mitra, uti dictum, tectus.

* In *Actis Sanctorum* tomo III menſis *Iunii* p. 90.

Ceterum ex iis, qui tum temporis ſimul inuenti fuere, facile colligere licet, ad quod ſaeculum referendus ueniat, quandoquidem *Othonis IV*, *Adolfi* Comitis Schauenburgenſis, aliique, quibus immixtus fuit, indicio ſunt, *Sifrido II* illum poſſe attribui.

n. 2

ARchiepiſcopus ſimiliter equo uehitur, cum mitratus, tum loricа indutus; dextra adhaec uexillum militare gerens, ſiniſtra uero ſcutum, rota Moguntina inſignitum; lunae dimidiae ſigno eidem a tergo cum ſtella appoſito.

Hic bracteatus Lupoldo attribui poſſet, tanquam tropaeum, cum *Sifridum II* recens electum Binga ui hoſtili expuliſſet.

n. 3

ET hic equo it Archiepiſcopus, habitu cum mitratus, tum loricatus, lituumque ſiniſtra tenet, dextra uero ſcutum, pectori admotum: ſigno lunae dimidio, cui ſtella ſuperne incumbit, itidem a tergo ei appoſito.

Hic

Hic *Sifrido II* forte adſcribi poſſet, tanquam numus memorialis, Bingae rurſum ſubactae, & *Lupoldi* nocte ſtellanti effuſo in fugam curſu uix e periculo emerſi.

Sedenim hanc aeque ac ſuperiorem coniecturam aequus lector in meliorem accipiat partem: qua expenſa, unicuique, ſi libet, integrum erit, ἐπίκρισιν ſuam hoc curatius in lucem communem proferre.

II
LVPOLDI.

n. 4

EXimiae bracteatus formae; in quo *Lupoldus* repraeſentatur, ut in ſella ſedet turrita, dextraque bene precantis ſignum dat; ſiniſtra uero pedum gerit: his circumſcriptis uerbis: ✠ *LVPOLDVS* ✠ *ARCHI* ✠ *EPISCOP*9.

Delineatum iam pridem dedit *Olearius**.

* In *Spicilegio antiquitatis* numos XXV bracteatos ſuggerente p. 11, n. XV; LVPOLDVS ARCHIEPISCOPVS. *Egregius numus; cuius figura & epigraphe abs omni labe. Hunc bracteatum Dominus* W. E. Tenzelius (*in* Colloquiis menſtruis *an. MDCXCVIII p. 640*) *Archiepiſcopo illi Moguntino uendicat* &c.

n. 5

EIusdem *Lupoldi* eſt, uti ſedens dextra clauem Wormatienſem (Epiſcopatus in Vangionibus inſignia) ſiniſtra rotam Moguntinam tenet, hac cum inſcriptione: Sanctus *MARTINVS.*

n. 6

EIusdem eſt; illumque nobis ob oculos ſiſtit, ut dextra Moguntinenſe, & ſiniſtra Vormatienſe pedum gerit, iuxta cum hac περιγραφῇ: Sanctus *MARTINVS.*

Duo hi poſteriores mihi uidentur *numi* eſſe *libertatis*, ab eo cuſi: id quod pondus eorum, id genus numis reſpondens, una cum circumſcripto *D. Martini* nomine, confirmat. Sedenim de his infra fuſius.

III
SIFRIDI.

n. 7

BRacteatus eſt, hoc nomine, tituloque inſcriptus: *SIFRIDVS. ARCHIEP*iſcopus. *M*oguntinus. Qui quidem Archiepiſcopus hic repraeſentatur, ut in ſella capitibus caninis conſpicua ſedet, ac dextra bene precantis praebet ſpeciem; ſiniſtra uero lituum tenet.

n. 8

IDem in ſedili ſedens, dextra eleuata eandem refert ſpeciem; ſiniſtra uero crucis ſalutiferae gerit ſignum: his circumcirca ſcriptis uerbis: *SIC*f*RIDVS EP*i*S*C*opus.*

n. 9

EIusdem cum praecedenti figurae eſt. Epigraphe uero ſic ſe habet: *SIFRIDVS MO*guntinus.

n. 10

ARchiepiſcopus in ſella, capitibus caninis in extremitatibus ornata, ſedens, digitis dextrae manus erectis benè precantis exhibet imaginem; ſiniſtra uero labarum, ſiue uexillum ſacrum, baculo cruciformi affixum, tenet; his uerbis adiectis: *EPISCOPI Sifridi.*

n. 11

n. 11

IDem conſpicitur, intra opus quoddam affabre factum atque turritum ſedens, & dextra baculum breuem, ſuperne crucis ſigno conſpicuum gerit; ſiniſtra uero lituum itidem breuem ac quaſi decurtatum; his in circuitu uerbis adiectis: *SI*fridus *A*rchie*P*iſcop*VS*.

Quatuor hos poſteriores *Schlegelius* aeri inciſos cum orbe litterato in *Apoteleſmate de numis Hersfeldenſibus* tab. II n. 5. & n. 9, tab. IV n. 11, tab. V n. 7 communicauit, ac p. 97 *Sifridi II* eſſe, argumentis aliquot in medium allatis, planum facere contendit*.

* Sedenim, intererit, hic audire illum ipſum. Sic autem l. d. § XLVII p. 96 & ſeq. *Poſt hos, huius ſortis ac commatis ſunt illi*, tab. I *n.* 10; tab. II *n.* 5, 9, 11; tab. IV *n.* 11; *Inque* tab. I *n.* 10 *forte legas*; *Sifridi* Epiſ Copt. tab. II *n.* 5, SIFridus ArchIePiſcopVS MOguntinus, *inque illo n.* 9 SIfridus ArchiePiſcopVS; *iterumque in eo* tab. IV *n.* 11; *Sifridi* EPISCOPI; *& tandem* tab. V *n.* 7, SIGFRiDVS EPIScopus. *In omnibus ſedente Epiſcopo, mitra Epiſcopali capite tecto; in illis n.* 5 tab. II *&* tab. IV *n.* 11 *dextra benedicente, aut pedum tenente, ſiniſtra autem crucem, aut uexillum cruciatum, ut ſolent illi in manibus portare, qui ſacris interſunt proceſſionibus, aut pedum, aut librum offerente; in aliis rurſum ueluti in arcuato quodam opere, uel in cathedra, uel in ſella, leonum aut canum capitibus in extremitatibus ornata: in hoc uero intra duas aut quatuor turres ſupra & ad latus, aut infra etiam uiſendas, ſedente.*

At quando tres in cathedra Archiepiſcopali Moguntina ſederunt Sifridi, *merebitur, ut diſquiramus, quiſnam illorum indigitetur. Primus* (*qui &* Sigefridus, Sigifridus, Sigehardus *ſcribitur*) *e* Baronum *familia* de Epſtein *oriundus, quique ab anno MLIX* (MLX) *ad annum MLXXXIV, quo obiit, hanc rexit dioeceſin, anno MLXXVII* Rudolfum *AntiCaeſarem Moguntiae conſecrauit, in Thuringia monaſterium* Haſungen *fundauit, ac* S. Haimeranum *Presbyterum ſuper illud conſtituit patronum, ibidem etiam exinde ſepultus. Secundus* Sifridus, *itidem* Baro *de* Epſtein, *clauum ſacrae huius reipublicae accepit anno MCC* (immo an. MCCI) *tenuitque in annum MCCXXV* (immo MCCXXX) *quo Erfurdiae fuit humatus. Et tandem* Sifridus *tertius, non minus e* Baronum *ſtirpe* de Epſtein *progenitus; qui nauem huius cathedralis eccleſiae ab anno MCCXXV* (immo, ab an. MCCXXX) *ad annum MCCXLIX gubernauit; quo VII Idus Martii Bingae e uita diſceſſit. Meo, ſi quod eſt, iud.cio nemini magis attribuendus ueniet, quam* Sifrido II, *cui & eundem nunc relinquimus, tum quod maximi non ſit moduli, ſed medii; tum quod ille poſterioribus uitae temporibus in Thuringia cumprimis egerit; tum quod cum ceteris ibidem ſimul repertis eandem ſculpendi rationem & aetatem prae ſe ferat: nihil morantes, quod in tertio, cum nomen cudentis in caſu gignendi efferatur, quod equidem in eiusmodi numis uelut paululum inſolens quidpiam ſonet, tum ſimpliciter* Epiſcopus *nominetur; non ignorantes, quod titulorum olim non tam auidi & tenaces, ac hodie, exſtiterint iſti Praeſules, ac in antiquis numis &* Epiſcopi & Archiepiſcopi, *prout ſpatium uocem imprimendi in numo modo permiſit, legantur.*

IV
CHRISTIANI II.

n. 12

IN ſedili, globulis duplicatis ſuperne in extremitatibus ornato, ſedet Archiepiſcopus, & dextra librum apertum (ſuper quo crucis ſignum conſpicere eſt) tenet; ſiniſtra uero rotam Moguntinam. Ἐπιγραφὴ ſic ſe habet: Ch*RISTIANVS ARCHIEPI*ſcopus. Exterior uero margo globulis ſiue punctis diſtinctus eſt.

n. 13.

SImilis eſt praecedenti; niſi quod Archiepiſcopus in ſcamno ſedet, ac tum dextra, tum ſiniſtra rotam Moguntinam gerit.

Ceterum bracteatus hic ex illis eſt, qui aliquot abhinc annis *Francobergae* in Haſſia, dum templum, uulgo *die Heyden-Kirche* dictum, inſtaurabatur, reperti fuere. Reſpondet multis ex eorum numero, quos *Liebknecht* (in academia Ludouiciana ſacrarum litterarum & Matheſeos PP.) ex iſtis iam conſpiciendos dedit*. Quorum *Schlegelius* etiam nonnullos, in

folio quarti ordinis, in publicum edidit **. In dissertatione *de numis Hassiacis* ostendam, quod huius sint saeculi.

* *de bracteatis Hassiacis* p. 11 & seq.
** *de numis Hersfeldensibus* tab. VI.

n. 14

Archiepiscopus heic arcui insidet, & dextra eleuata speciem populo bene precantis praebet; sinistra uero tenet librum; his circumscriptis uerbis: ChRISTianus. MOguntinus. ARChiEPISCopus.

Quisque, qui hosce *Christiani II* bracteatos cum superioribus *Christiani I* conferet, extemplo fatebitur, eos hic recte numis saeculi XIII adnumerari.

V
GERHARDI I.

n. 15

REpraesentat Archiepiscopum stantem, & dextra spadicem siue ramum a palma auulsum tenentem; sinistra uero uirgam pastoralem; cum περιγραφῇ hac satis clara, distinctaque: ✝ *GEBERHARDVS MAGVNCIE ARCHIEPISCOPVS.*

Bracteatus hic eruditis nonnihil facessiuit negotii, quoniam *Gudenus*, dum eum (*a*) in lucem protulit, pro, *GEBERHARDVS*, perperam legit *EBERHARDVS.* Caussa erat, quod crucis signum ab initio, & littera *G*, ut spatium, in ectypo isto occurrens, non obscure indicat, detrita essent. Ex eo dein *Olearius* illum iisdem uerbis recensuit (*b*); quem *Tenzelius* post secutus est (*c*). *Sperlingius* uero censuit, *Gudenum* Archiepiscopi nomen minus recte legisse (*d*). Sedenim cum nunc in aliis huiusce Archiepiscopi numis nomen ipsius genuinum explicate occurrat, nil amplius dubii supereſt uel dissensionis.

(*a*) Lib. I *Historiae Erfurtensis* § XXIII p. 59 (supra p. 158)
(*b*) In *Isagoge ad numophylacium bracteatorum* p. 31 n. XXVII; EBERHARDVS. MAGVNCIE. ARCHIEPISCOPVS. *Figura stans, dextra palmam, sinistra pedum exhibens. Conf.* Gudenus *l. c.*
(*c*) Supra *im Entwurff der Chur-Maintzischen Munтzen* § II.
(*d*) *de numorum bracteatorum & cauorum origine* p. 15.

n. 16

HIc uidere est figuram Archiepiscopi huius, pectore tenus expressam, intra opus turritum aeque ac anguloſum, dextra lituum gerentis, sinistra ramum ex palma; cum his in angulis circum circa litteris; *GERARDVS.*

VI
WERNHERI.

n 17.

VLtimum in bracteatis, nomen *Archiepiscopi* referentibus, locum occupat. In eo autem *Wernhertus* repraesentatur cum pedo in dextra; in sinistra uero cum libro patente: hoc circumscripto titulo: *WERNHERVS. DEI. GRatia. ARCHIEPISCOPVS. MOguntinus.*

De bracteato Heiligenstadensi.

n. 18

IN eo duas inter turres super arcu umbilico tenus *S. Martini* conspicitur imago, dextra lituum, sinistra crucis signum longius tenentis. Infra adstat Archiepiscopus, digitis manus dextrae exsertis, aedi sacrae appositae quasi

quasi bene precans: sinistra uero codicem Euangeliorum, pulpito impositum, cumque apertum prensans: iuxta pulpitum infra breuius quoddam crucis signum se contuentibus offert. Circumcirca scriptum est: *MARTINVS HELGENSTAT.*

Egregiae hunc formae bracteatum iam pridem *Olearius* recensuit *; post uero *Tenzelius numis* adnumerauit *libertatis* **. Sedenim, tum ex figura illius, tum forma lata satis animaduertere licet, numum esse memorialem, dedicationem templi Heiligenstadensis respicientem †.

* In *Isagoge ad numophylacium bracteatorum* p. 35; MARTINVS. HELGENSTAT. *Figura media in porticu sedens, dextra pedum, sinistra crucem tenens. Infra eam extat alia figura, manibus expansis.*

** Supra im *Entwurff der Chur-Maintzischen Müntzen* § II.

† De templo, quod Heiligenstadii *D. Martino* sacrum est, agitur in *Actis Sanctorum* tomo III *Iunii* a. d. *XVI* p. 80; ubi in summa: Sifridus *Archiepiscopus nouam parochiam (noui oppidi in Heiligenstad) a* Sifrido *priore institutam, ueteri* S. Martini *subiecit anno MCCXXXIX.*

De numis Erfurtensibus, *qui uulgo* libertatis *siue* Freypfennige *dicuntur.*

SEquuntur numi, sermone uernaculo uulgariter *Freypfennige* dicti; omnes nomine *MARTINVS & MARTINI* signati.

Cum uarii sint generis, *Olearius* XVI eorum describit*; Ego uero paucos tantummmodo hic exhibere constitui.

* In *Isagoge ad numophylacium bracteatorum* p. 35 & seq.

In quorum illo, qui n. 19 signatus est, sedens occurrit Archiepiscopus, uti quidem dextram ad bene precandum attollit; sinistra uero pedum tenet. Litterae, quibus nomina *Sanctus* & *Martinus* expressa, fere similes sunt illis, quae in allatis Archiepiscopi *Lupoldi* numis conspiciuntur. Vnde uix dubium, quin & hic ad eos pertineat.

Ceteris recensendis ego quidem nunc haud immorabor, sed tantum monebo, *a*) n. 20, 28, & 29 notatos ex auro puro cusos occurrere; n. 20 uero signatum pluries flatum ex argento. *b*) Horum autem XXXII respondere semunciae: uti aureorum unusquisque parti quartae aurei Hungarici (*Ducati* uulgo) aequipollet. *c*) N. 20 signatum propter ueterem in littera *M* scribenda ductum aureis adnumerandum uideri. *d*) N. 30 notatum dimidium libertatis numum esse, atque adeo ponderis, cuius superiores esse dixi, tantum dimidii. *e*) Denariorum porro cauorum siue bracteatorum maioris moduli quatuor facere drachmam, & XVI semunciam: cumque semuncia argenti puri decem & octo grossis monetae probae Misnensis ueneat, sequi omnino, pretium ueteris bracteati argentei integri (monetae iustitia, ut ICtis uocari solet, siue lucro ex ea prouenient non connumerato) esse tredecim numulorum, uniusque sextantis; dimidii uero sex & $\frac{1}{4}$ numulorum.

Quantum uero uice numi huiusmodi hodie usuali exsoluatur moneta, ex sequenti discere licebit narratione: quam ideo subiungo, quia *Tenzelius* l. c. dum de eorum agit origine, scribit: *Vsum hodiernum, pretiumque, quod eorum loco appenditur, aliis relinquam explicandum.* Cum enim patria sim Erfurtensis, ac de aedibus, quas ibi etiamnum possideo, quotannis nouem eiusdem modi numos Curiae Moguntinae soluere debeam, modum eos redimendi breuibus exponam.

Id igitur genus numi de certis quibusdam domibus, agris, hortis, uineis, tabernis macellariis cet. dependuntur. Dies pecuniarum prima post sollemnem *D. Martino* feriam statuta. Qua exorta, mane ad lumina in eandem, quam dixi, curiam Praetor urbanus se confert, sellisque positis, cum Praefecto urbico, eiusque Iustitiario, ut barbara hac uoce utar, *Gerichtshalter* uulgo, & aliis, sessum it praeses: accensis curiae & apparitoribus adstantibus.

ſtantibus. Quo facto, horis antemeridianis id genus numi recipi ſolent; uti poſtmeridianis onera feudis ſiue beneficiis impoſita. Hic uero recipiendi modus continuatur usque ad diem *D. Eliſabethae* in faſtis ſacram: qua quidem nonnulli eorum ex aula dicta equis uecti eunt in curiam oppidanam: in qua dein nomina adhuc debentium affiguntur, apparitorum uno peculiari quodam malleo uniuscuiusque nomen, cum editur, percutiente; quaſi cenſus ſoluendi illum admoneat. Quod ſi quis iſta adhuc die ſe iſtit, non adeo graues morae factae poenas dat: grauiores uero, ſi altera demum comparet. Tertia, oblatae Deo in templo Virgini dicata, qua caerimonia haec ultimo peragitur, nomine debitoris percuſſo, res illius, ſiue bona, quibus cenſus ille impoſitus eſt, in Principis fiſcum rediguntur. Vnde natum, quod in ore uulgi eſt, prouerbium: *ELISABETH geklopfet*; *EDMVND gezopfet*; *MARIEN geopfert.*

De pretio uero, quod eorum loco penditur, ſciendum, uice numi iſtiusmodi antiqui numerari quatuor numulos Miſnicos, una cum dimidio, ſiue, dimidium album monetae uſualis Haſſiacae.

De numis Erfurtenſibus aliis.

TRes poſtremi numi, n. 31, 32, & 33 notati, ueteres ciuitatis Erfurtenſis bracteati ſunt. Quorum quidem *ille* rota Erfurtenſi & leone Thuringico; *iſte*, rota Erfurtenſi, ſtellis & crucibus exornata; *hic*, rota ſola, ciuitati inſignibus, inſignitus eſt.

